



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

De Ironicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

hunc procul dubio turpiorem, Mendaces enim omnes ab electione existere, atque ab habitu, & qui ostentatores ut uani mendacio latentur, & qui honore & gloria capiuntur, uelinique inter alios uideri excellere, quique item pecunijs inhient, rei que domestica compedijs, utque sibi profint, ac suis. Consuesse autem ea sibi affingere, quae laterae quidem possent, eaque haud palam fieri arbitrentur, ut qui cum e medicina, aut diuinatione aliquid modo attigerint, & medendi tamen, & diuinandi maximam se peritiam affectos gloriantur, profitenturque ea se tenere, quae sint earum artium abditissima, deque se ipsis magna cum ostentatione, ac iactantia praedicant.

## De Ironias.

De Ironiis uero ac dissimulatores haec sentit. Esse ex ijs qui minora de se, rebusque suis dicant, aut ea prorsus inficiantur, ac dissimulent, in quibus idem ipsi praesent, sintque ea praecleara admodum, ac magis magisque nobilitata, nullo modo tamen emolumentum causa, aut pecuniae, uerum ut insolentiam deuitent, ac tumorem. cuiusmodi fuisse Socratem refert. Esse item alios, qui parua ac minuta quaedam, ea tamen plane cognita dissimulantes, dum minimis quibusdam e rebus siue eleuandis, siue dissimulandis laudem aucupantur, ex eo contemptibiles fieri, esseque despiciendos. Quin etiam hanc ipsam interdum Ironiam, ostentationem prorsus esse quandam iudicat, qualem fuisse Lacedaemoniorum uestitum dicit, Etenim ut excedentem arrogationem, sic attenuationem nimiam, ad ostentationem esse referendam. Itaque modeste qui utantur Ironia in ijs ipsis quae manifesta sint, atque in promptu, urbanos eos uideri, gratiamque quandam inter ciues promereri, indeque iucundos esse, atque admodum gratos. Quod autem ostentatio ipsa turpior per se sit, ac uiro probo indignior, inde Ostentatores, quique ea simulant, quae nullo modo insint, idque contendunt, ut inesse credi ea uelint, atque ultra uerum seque, resque uerbis magnificant, atque extollunt suas, qui Ironici sunt, suaque dissimulater inficiantur, aut ea deducunt. Veracibus utique magis aduersari. Atque haec quidem in hanc traduntur sententia a Peripateticae sectae constitutore. Nos uero institutum nostrum secuti, in his iisdem diffusius uersabimur, magisque aliquanto explorate, et aliud esse Simulare dicimus, aliud Dissimulare. Simulamus enim quae nullo modo uera sunt, quaeque ipsi nec fecerimus, nec dixerimus, quaeque nec seruare in animo habeamus, Contra dissimulamus quae ipsa quidem dicta, aut facta sint, perinde ac nec dicta fuerint, nec facta, aut non quemadmodum, quoque animo, consilio uel aut fecerimus, aut dixerimus. Quae ratione Sallustius Catilinam cuiusque rei simulator esse dixit, ac dissimulato

rem. Cum tamen & simulare, & dissimulare nonnunquam prudenti uiro sit permissum, ut qui  
 • Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.  
 Singula enim ad finem sunt ipsum referenda. Sed hac nos in parte de simulatione, ac dissimulatione illa loquimur, quæ mendacium respectat, utq; ementiendo fallat, recedatq; à ueritate profitenda. Itaq; Simulatores Ostentatorum necessarij sunt, atq; affines, Dissimulatores Ironicorum. Simulant nanq; Ostentatores. Dissimulant Ironici. Alteri affingunt, ementiuntur, arcessunt, quæ non sunt simulant, alteri subtrahunt, minuunt, inficiantur, uerum ipsum dissimulantes. Vt cunq; tamen se res habeat, diuersum est uirisq; consilium. Illi enim quæ querunt, ea id ratione assequi uolunt, ut fingant & uultum, & uerba, & consilia, & res ipsas, nonnunquam tristitiam, dolorem, lacrimas, aut contra hilaritatem, letitiam, uoluptatem, hi quæ uera sunt, ut aut omnino inficientur, aut plurimum illis demant.

## De quatuor generibus Ostentatorum.

Triples est igitur Ostentatorum (ut dictum est) genus, qui in simulationibus uersantur, alij enim sunt quibus mendacium sit ipsum, mentie<sup>n</sup> di auctoramentum. quo in uitio plane regnat uanitas, Alj quibus ea è re proposita sit honoris, famæ uel consecutio. ostentant enim seq; & sua, quo honores, magistratus, dignitates, sacerdotia assequatur. quod studium nõ uacat ambitione. Sunt qui ampliandæ rei familiari hac ratione dent operam. quod uitium ab auaritia ducit ortum. Sed nec uerebimur quartum quoddam is genus adijcere hominum illorum, qui cum dissensionibus gaudeant, ac discordijs, partim affingendo ueris falsa, partim subtrahendo, ac nunc demendo, nunc accumulando, aut dicta, factaq; ipsa interpretando perperam, id agunt, ut ciues inter se commutât, serantq; odia, atq; inimicitias, Qui morbus ad naturæ prauitatem, morumq; peruersitatem est omnino referendus. Quæ eni ciuili in congregatione, hominumq; societate maior accidere pestis potest, quando ad eam colendam cum instituti à natura simus, contra ad evertendam arte hac, fingendiq; hac fallèdi studijs inimitimur? Hos Cõmissores Latino, & suo uerbo uocare possimus, uitiumq; ipsum Commissionem. Quin horum quidem è numero alijs propositum est hac uia, atq; his artibus magnos sese, ac potentes, aliorum è contentionibus, ac dissidijs facere, dum & miscent, et interturbant omnia. Quod malum Romæ latius se se diffudit, Pompeij maxime ac Cæsaris, item Antonij, atq; Octauij tempestatibus. Alijs uero nullum omnino pro